Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1277

Quelle:
Copyright:

ſtrem ac partes illas miſeramus &c. Rogat *Wilhelmum*, ut Regi autor ſit abolendi quoddam *ſtatutum Regium*, *ſi tamen ita dici debeat*, *contra libertatem eccleſiaſticam dudum editum et ſaniori conſilio non ſeruatum*, ſed a *Richardo* a ſeductoribus, ut ait, perſuaſo innovatum. Praeterea *Damianum* reducem in *Angliam* commendat. *Datum Rome apud ſanctum Petrum.* Pontificem *Bonifacium* IX. Regem *Richardum* II. arbitror, literas vero ſcriptas poſt an. 1393. quo Comitis *Surisberienſis* titulus *Wilhelmo Montacutio* obtigit.

XVIII. *fol.* 175. Brevis *Philoſophiae* in omnes partes ſuas Diſtributio, cujus initium: *Philoſophia diuiditur in organicam ſeu miniſtralem et principalem* &c. Ad calcem: *Jo. Cal.* Quod, an *Johannem Calderinum*, an *Calderiam* denotet, neſcio; video tamen per decurſum *Hugonis a S. Vict. Didaſcalicon* citari.

XIX. *ejusd. fol.* p. 2. *Johannis* XXII. Conſtitutio, quae incipit: *Execrabilis quarundam tam religioſarum quam ſecularium perſonarum ambicio* &c. et detonat contra poſſidentes plura ſacerdotia. Subſcripta eſt: *Auinione XIII Kl. Nouembr. Anno ſecundo.* (1317) et habetur in *Corp. Jur. Can.* inter *Extravagantes* tertia.

XX. *fol.* 177. *Summa parua domini Jo. Andree ſuper 4° Libro Decretalium.* Initium: *Chriſti nomen inuocans ad honorem ipſius et Reuerendiſſimi patris mei domini Bonifacii Archidiaconi* &c. Hic manca, extat integra in *Tractatu Tractat. Juris*, T. IX. *Venet.* 1584. *fol.* 2. f.

XXI. *fol.* 183. *Incipit margarita bernhardi.* Eſt Index locorum communium Juris Canonici, indicatis *Decreti* et *Decretalium* capitibus, in quibus de quavis propoſita materia agitur, videturque confectus ad modum *Tabulae* dictae ab Autore *Martinianae* aut *Margarita Decreti* ſaepius typis edita, id quod de *Margarita* noſtra aſſerere non auſim. Incipit: *Verborum ſuperficie penitus reſecata de talento credito vobis relinquo ſocij margaritam* &c. Prima materia, quam excutit, eſt *Jus Naturale*, ultima *Conſecratio Eccleſiarum et Altarium.* Duos habemus *Bernardos*, qui in hoc ſtadio decurrere, *Bottonum* unum *Parmenſem*, *Compoſtellanum* alterum *de Montemirato.* Ad quem vero horum *Margarita* praeſens pertineat, alii diſpiciant.

XXII. *fol.* 191. *Summa continens que prohibentur tempore interdicti.* Initium: *Ad honorem Dei et glorioſe Virginis matris ſue, ut ex. de vſu pal. ad honorem, Incipit ſummula breuis edicionis* &c. Non inveni in Tract. Tractatuum Juris.

XXIII. *fol.* 195. p. 2. *Summa*, ut in calce legitur, *breuis de Proceſſu Judicij*, cujus initium eſt: *Antequam dicatur de proceſſu Judicij, Notandum eſt, quid ſit Judicium et quot ſint ſpecies iudicij* &c. Non eſt *Johannis de Vrbach*